

5. QUÆRES V. *Quomodo conciliantur verba Iosue cap. II, v. 21 et 22: IOSUE INTERFECIT ENACIM... NON RELIQUIT UNUM DE STIRPE ENACIM; cum verbis Iudic. cap. I, v. 20 ubi dicitur: CALEB DELEVIT EX HEBRON TRES FILIOS ENAC. Si Iosue iam omnes de stirpe Enacim interfecit, quomodo potuit Caleb eorum aliquos delere?* R. Iosue quidem interfecit Enacim, nec uni de hac stirpe pepercit, quos videlicet invenit in civitatibus a se captis. Verum quia ipse non omnes civitates cepit, ut Geth, Gazam, et Azotum, haud mirandum, quod Caleb quosdam residuos filios Enac postmodum deleverit. Res nimirum, ut Masius ait, ita contigit: Filii Enac seu gigantes a Iosue (1) partim caesi, partim pulsati sunt ex Hebron, Dabir, et Anab, cum ipse illas urbes victor percurreret. Pulsati vero ac profugi, qui scilicet Iosue manus evaserunt, sese recepere in Gazam, Geth, et Azotum, quae erant urbes philistinorum. Unde post mortem Iosue, viribus resumptis, maiorum suorum sedes, scilicet Hebron, Dabir et Anab recuperarunt, rursusque occuparunt, donec tandem a Caleb et Othaniele funditus fuere deleti. Vide Cornelium a Lap. (2).

6. QUÆRES VI. *Quomodo liber Iosue secum ipso concordet, dum urbem Ierusalem modo tribui Benjamin (3), modo tribui Iuda (4) assignat?* R. Ista optime sibi concordant. Nam tribus Iuda et Benia-

(1) Iosue c. 11, v. 21 et 22.

(2) Commentar. in Iosue, c. 11, v. 21.

(3) Iosue c. 18, v. 28: Et Sela, Eleph, et Iebus, quae est Ierusalem. — Haec est possessio filiorum Benjamin iuxta familias suas.

(4) Iosue c. 15, v. 1 et 8: Igitur sors filiorum Iudae per cognationes suas ista fuit — ascenditque per convallem filii Ennon ex latere Iebusaei ad meridiem, haec est Ierusalem. Similiter psalm. 77, v. 68, mons

min secundum Terrae sanctae partitionem sese contingebant, et urbem Ierusalem dividebat ea linea, quae tribum Iuda et Benjamin separabat, sicque Hierosolyma ad utramque hanc tribum spectabat. Superior quidem huius urbis pars, continens montem Sion ad tribum Iuda; pars autem inferior cum interiacente monte Moria, in quo templum positum erat, ad tribum Benjamin pertinebat. Unde haec urbs in s. Scriptura modo uni, modo alteri ex duabus illis tribubus attribuitur (5).

Neque DICAS: Deus subinde in Scripturis dicitur habitasse, templumque fuisse in monte Sion: ergo falsum est, quod templum non in monte Sion seu parte urbis superiore, sed in monte Moria seu parte eiusdem inferiore collocatum fuerit. Nam R. Ideo Deus in monte Sion habitasse, vel Templum in eo fuisse dicitur, quia non raro mons Sion pro tota urbe hierosolymitana per figuram synechdoches sumitur, vel etiam, quia coaequata a Salomone voragine Mello (6), quae inter montem Sion, et montem Moria interiacebat, uterque hic mons videri unus mons, et qui maior erat (videlicet mons Sion) alteri communicare nomen suum potuit (7).

7. QUÆRES VII. *Quomodo verba Iosue cap. II, v. 8, 19 et 23: ITA PERCUSSIT (IOSUE) OMNES, UT NULLAS EX EIS DIMITTERET RELIQUIAS... OMNES CIVITATES BELLANDO CEPIT... CEPIT*

Sion, qui erat pars Hierosolymae, attribui Iuda his verbis: Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.

(5) Vide Tirinum commentar in Deuter. c. 33, v. 13; et Iosue c. 18, v. 28.

(6) Vide interpretes s. Scripturae comment. in III. Reg. c. 9, v. 13.

(7) Vide Bonfrerium comment. in Deut. c. 33, v. 12; Lyranum in Genes. c. 28; Calmeti Diction. biblic. v. Mello.

IOSUE OMNEM TERRAM, SICUT LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN, QUIEVITQUE TERRA A PRAELIIS; concordent cum cap. 17, v. 12 et cap. 18, v. 2, quibus plurimos adhuc chanaanæos, urbes et arces expugnandas superfuisse perhibetur? R. Iosue percussit omnes, qui nempe ipsi resistebant, omnesque civitates expugnavit, quas scilicet bellando adiit, ac omnem terram cepit, sed quoad eas partes solum, quas suis victoriis pertransiit. Ita s. Aug. (1), et Corn. a Lap. (2).

8. QUÆRES VIII. *Quomodo Iosue israelitas in Sichem congregatos potuerit sistere in conspectu Domini, et ponere lapidem in Sanctuario Domini (Iosue 24, v. 1 et 26); cum Sanctuarium et arca tunc (Iosue 18, v. 1), non fuerint in Sichem, sed in Silo? R. Iosue tunc arcam ex Silo transferri fecit in Sichem, ut coram ea foedus populi israelitici*

cum Deo sanciret. Causa autem, cur Iosue in Sichem potius, quam in Silo hoc foedus renovaverit, fuit, quod Deus per Moysen (3) iusserat in Sichem in monte Hebal (4) sanciri dictum foedus, repetique primum foedus initum in Sina (5). Atque hoc mandatum divinum Iosue iam executus erat cap. 8, v. 30. Sed cap. 24 paulo ante mortem suam idem foedus instaurat. Voluit nimirum Iosue ad exemplum magistri sui Moysis (6) legis et foederis cum Deo repetitione suis israelitis ultimum vale dicere: idque in Sichem, ut ubi Abraham Chanaanæam ingrediens primum Deo sacrificium obtulit (7), et haeres huius regionis a Deo designatus est (8), ibi posterius eius, haereditate hac iam adita, in Dei legem solemniter iurarent, ibique aeternum religionis et iuramenti sui haberent monumentum (9).

SECTIO II.

DE LIBRO IUDICUM

Liber hic hebraice שופטים *Sophetim* i. e. *Iudicum* inscribitur. Quia qui eo tempore apud israelitas rempublicam gubernarunt, *Iudices* vocabantur; eorumque hic gesta a morte Iosue usque ad Heli et Samuelem capitibus 21 recensentur. Auctor libri est incertus. Sunt, qui non unum scriptorem huius libri esse putent, sed plures. Singulos enim iudices vel eorum scribas, quae cuiusque iudicis temporibus accidissent, in commentarios retulisse

existimant. Sed verisimilius est, *Esdram*, vel potius *Samuelem*, aut alium scriptorem sacrum praedicta antiqua iudicum diaria et annales collegisse, et in hunc librum scribendo redegeisse.

9. QUÆRES I. *Quid nomine IUDICUM hoc in libro intelligatur? R. Quid iudex sit, nemini, qui latinam linguam callet, ignotum. Sed quia non generatim hic, quid nomine Iudicis intelligatur, sed definite quoniam hoc in libro sint, quaeritur;*

(1) Quaest. 17 in librum Iosue.

(2) Commentar. in Iosue c. 12, v. 23.

(3) Deut. c. 17, v. 4.

(4) Mons Hebal erat prope urbem Sichem, e regione montis Garizim.

(5) Exodi cap. 19.

(6) In toto Deuteronomio, maxime cap. 32.

(7) Genes. c. 12, v. 6 et 7.

(8) Ibidem v. 7.

(9) Vide Cornel. a Lapide comment. in Iosue c. 24, v. 1 et 26.

dicendum breviter est cum *Serario* (1) fuisse hos principes, qui israeliticum populum e servitutibus et malis, quibus tum premebatur, vindicarunt, eumque toto vitae tempore postea ex legum praescripto, senatorumque conciliis rexerunt: ad hoc ipsum non generis aut opum praerogativa constituti, sed aut mirabiliter a Deo excitati, aut a populo ipso electi et invitati. Omnia vero et singula, quae hic posui, patebunt legenti historiam de his iudicibus in memorato libro s. Scripturae contentam. Nam 1, dixi eos principes fuisse, quia hoc ipso quod iudices fiebant, principatum in populo tenebant. Dixi 2, vindicasse populum e servitutibus et malis, quibus vicinae gentes philisthini, moabitae, ammonitae, madianitae etc. israelitas affligebant; quia hic fere fuit scopus, a quo iudices inceperunt omnes, et cuius causa hoc ad munus vocabantur. Dixi 3, toto eos vitae tempore populum gubernasse, ne principatus eorum intelligeretur certo circumscriptus tempore, ut apud romanos consulatus et dictatura. Dixi 4, ex legum praescripto, senatorumque concilio, ne iudices putentur fuisse reges, aut qui arbitrio suo imperarent domini, de quo paulo infra (2). Addidi 5, et postremo initium ac modum, quo haec istis imponebatur functio, perpetuaque dignitas. Fiebat nimirum id interdum *clare ac palam a Deo*: interdum *a populo*, qui tamen et ipse a Deo ad hoc movebatur et incitabatur, licet minus perspicue, de qua re *Azor* (3).

10. COROLLARIUM I. Iudicum OF-

(1) Comment. in l. Iudicum c. 5 in *Parascavasticis* quaest. 1.

(2) Num. 10 corollar. 2 et 3.

(3) Part. 2, instit. moral. l. 10, c. 2.

(4) Vide *Serarium* loc. cit. q. 3, ubi ait, quod iudices populi israelitici a *Io-*

ficium erat TRIPLEX. Primum fuit, populum israeliticum e servitute liberare, uti iam dixi. Secundum, bello praeesse. Erant enim hi iudices quasi belliduces et imperatores. Unde *Iosephus* (4), eos vocat στρατηγούς, id est, imperatores. Tertium, proprie iudicare, id est, ius populo dicere, eorumque lites iusta sententia dirimere, uti fecit *Samuel* et *Heli*. Unde nonnulli iudices, ut *Thola*, *Abesan*, *Ahialon*, *Abdon*, nulla leguntur gessisse bella, sed tantum populo praefuisse et ius dixisse. Nam licet ipsi non haberent absolutum ius necis et vitae, reos tamen iuxta legem Dei morti adiudicabant et plectebant.

COROLLAR. II. Cum iudices populum regerent, et populum sane non minimum (nempe israeliticum) quidni et reges potuissent vocari? praesertim, cum et *Iosue* vocetur in samaritanorum chronico (5) primus israelitarum rex, et *Aristoteles* (6) quintuplicem regis notionem, seu quinas regum formas et species constituat, quarum prima et quarta in iudices, de quibus hic loquimur, congruit optime. Quia tamen in huiusmodi nomenclationibus praeter nudam nominum originationem, considerantur etiam alia quaedam hisce nominibus subiecta, ut modus regendi et gubernandi, ac alia, ipseque loquendi et in Scriptura et in scriptoribus aliis usus, NON SUNT HI PROPRIE loquendo REGES VOCANDI. Nam nec novas leges condere, nec tributa populo imponere poterant, uti possunt reges; nec diademate et sceptro utebantur, nec satellitio regio cincti erant, nec ungebantur,

sepho iudaeo appellantur modo ἀρχοντες, modo ἡγεμόνες, interdum etiam στρατηγοί, et μονάρχαι.

(5) Apud *Scalig.* Isag. p. 218.

(6) L. 5 Polit.

uti unguuntur reges, nec haereditario iure succedebant, ut faciunt filii regum, sed electione Dei vel populi creabantur. Electus tamen per omnem vitam manebat iudex, id est princeps; quare non erat dominus nec proprie rex, sed conservator duntaxat, et curator reipublicae.

COROLL. III. Israeliticae reipublicae FORMA tempore iudicum MONARCHICA ARISTOCRATIAE MIXTA fuit. Antequam hoc declarem, observo, triplex posse alicuius reipublicae regimen esse, videlicet democraticum, cum δῆμος, id est, populus seipsum regit, in quo pluralitas vocum praevallet, remque dubiam definit, uti teste *Ioanne Hübnero* (1) fit apud helvetos, saltem in 6 minoribus pagis, seu (ut vulgo vocantur) *cantonibus* (2). Aristocraticum, in quo ἀριστοι, id est, optimates imperant, uti erant olim Romae consules et senatores, ac etiamnum sunt Venetiis, Genuae, et aliis in locis. Monarchicum, in quo μόνος, id est, unus solus imperat, uti monarchae in regnis suis sunt reges et principes absoluti ac Caesares. His notionibus praemissis, dico: Iudices, de quibus hic loquimur, habuerunt regimen non democraticum, nec aristocraticum, sed monarchicum aristocratico mixtum. Unus enim solus iudex suo tempore praeeerat populo. Monarchiam ergo obtinebat, at non regiam regum proprie dictorum, ut iam supra (3) observavimus. Porro mo-

(1) Im *Staats-Zeitungs und Conversations-Lexicon von der Schweiz, Helvetia*.

(2) Hi sex minores pagi seu cantones sunt *Uri* (latine Uriensis pagus) *Schwitz* (Suitia), *Unterwalden* (pagus Unterval-diensis), *Zug* (pagus Tugiensis), *Glaris* (pagus Glaronensis), et *Appenzell* (Abbatiscella); reliqui septem cantones maiores, nimirum *Zürich* (pagus Tigurinus), *Bern* (Berna vel pagus Bernensis), *Lucern* (Lucerna, vel pagus Lucernensis), *Solothurn* (Solodurum, vel pagus Soloduricus), *Schaffhausen* (Schafhusia, vel

narchia haec iudicum mixta erat aristocratiae. Nam iudices in rebus difficilioribus supremi consilii, quod *Sanhedrim* dicebatur, sententiam exquirere, eiusque decretis stare debebant (4): in ceteris vero legem Dei sequi, ac iuxta eam populum gubernare. Unde non tam ipsi, quam Deus, Deique lex populum regebat. Hoc est, quod Deus dixit *Samueli* iudici (5): *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Et *Gedeon* iudex Israel, cum ipsi eiusque posteris iuxta regum consuetudinem populus summam rerum detulisset his verbis: *Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui: quia liberasti nos de manu Madian*, respondit (6): *Non ego dominabor in vos (id est non ero rex), nec filius meus; sed dominabitur in vos Dominus Deus vester*.

11. QUÆRES II. *Utrum israeliticae tempore iudicum certum et definitum verae religionis systema habuerint?* Occasionem huic quaestioni praebuit auctor impii libri, *Dieu et les hommes* inscripti, qui teste cl. *Bullet* (7) contendit, israelitas tempore iudicum nulli certae religioni fuisse addictos. Id evincere conatur ex illis iudicis *Iephte* ad regem ammonitarum verbis (8): *Nonne ea, quae possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quae autem Dominus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem?* quasi diceret: Tu occupas

Schaphusia, aut pagus *Schaphusinus*), *Basel* (pagus, vel tractus Basileensis), *Freyburg* (Friburgum, vel pagus Friburgensis) teste eodem *Hübnero* reguntur regimine aristocratico, aliquantum tamen admixta democratia.

(3) Immediate praecedente corollario 2.

(4) Vide *Cornelium a Lap.* praefat. in librum Iudicum.

(5) l. Reg. c. 8, v. 7.

(6) Iud. c. 8, v. 23.

(7) Réponses critiques tom. 2, n. 29.

(8) Iud. c. 11, v. 24.

regiones illas, quas Deus tuus *Chamos* tibi dedit; ergo pari iure nos israelitae occupamus terram, quam pro nobis pugnans victor Dominus Deus noster nobis dedit. Ex quo memorati impii libri auctor infert, israelitas illo tempore in opinione fuisse, quod *Chamos* sit verus Deus, et credidisse, quemlibet populum habere suum peculiarem Deum, ac proin illos tunc nondum certum religionis systema de uno veroque Deo colendo habuisse. Sed

¶. Quicumque Pentateuchum *Moysis*, et librum *Iosue*, vel obiter lustrarit, huic ad oculum patebit, israelitas iam tempore *Moysis* et *Iosue*, adeoque multo magis tempore subsequentium iudicum, certum ac definitum de uno vero Deo colendo habuisse religionis systema. Numquid enim israelitarum religio, modusque colendi unum verum Deum iam in deserto, cum ad montem *Sinai* morarentur, formata non est (1)? Numquid non foedus inter Deum et populum Israel iam tum sancitum est, oblati etiam Domino sacrificiis, foederisque sanguine in populum resperso (2)? Numquid non vivente adhuc *Moyse* israelitis a Deo prohibita est gentium societas et idololatria, dataque praecepta de primogenitis, sabbatho, azymis, ceterisque festis celebrandis (3)? Numquid non iam tum ex iussu divino formatum est tabernaculum, arca, propitiatorium, Cherubin, mensa,

(1) Exod. c. 20 et seq.

(2) Exod. 24, v. 5-9, ubi ita legimus: Venit ergo *Moyses*, et narravit plebi omnia verba Domini, atque iudicia; responditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quae locutus est, faciemus. Scripsit autem *Moyses* universos sermones Domini; et mane consurgens aedificavit altare Domino ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque iuvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulit itaque *Moyses* di-

candelabrum, lucernae, altare thymiamatis, altare holocaustorum, etc., item pontificalia, sacerdotaliaque confecta ornamenta, totumque *Moysi* a Deo iniunctum opus, et apparatus ad religionem mosaicam exercendam perfectum (4)? Numquid, quando tabernaculum erectum et consecratum est, non operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud, nec poterat *Moyses* ingredi tectum foederis, nube operiente omnia, et maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat (5)? Quis ergo sanae mentis homo negare ausit, israelitas iam tempore *Moysis* (adeoque multo magis tempore iudicum) habuisse certum ac definitum religionis nimirum mosaicae systema, Deumque unum ac verum adorasse? Praeterea numquid *Iosue* senex, iamque moribundus exhortatus non est filios Israel ad servanda Dei praecepta, et cavendam societatem cum gentibus? Numquid non servavit Israel Domino cunctis diebus — Seniorum, qui longo vixerunt tempore post *Iosue*, et qui noverunt omnia opera Domini, quae fecerat in Israel (6)? Quis ergo, repeto, sanae mentis homo dicet, aut sibi persuadebit, israelitas tempore iudicum habuisse religionem informem, nullumque certum religionis systema de Deo uno et vero tenuisse?

Equidem verum est quod pars israelitarum in deserto in idolola-

midiam partem sanguinis, et misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen foederis, legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia, quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obediens. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.

(3) Exod. c. 34, v. 12-28.

(4) Exod. c. 36, 37, 38 et 39.

(5) Exod. c. 40, v. 32 et 33.

(6) Iosue, c. 24, v. 31.

triam prolapsa sit; sed particulares impiorum praevaricationes non tollunt publicum verae religionis exercitium. Similiter verum quidem est, quod tempore intermedio inter mortem *Iosue* et seniorum, ac institutionem regum hebraeorum, id est tempore iudicum, israelitae saepius ad idolorum cultum defecerint, sed poenitentes iterum ad Deum verum, huiusque cultum rediisse, non uno in loco (1) legimus. Numquid non similes praevaricationes iudaei aedificatio iam tempore commiserunt? Quis ideo dicere ausit religionem iudaeorum tunc adhuc informem fuisse, eosque nullum certum ac definitum religionis systema habuisse, cum tamen sciat, quanta solemnitate sacrae caeremoniae, cultusque Dei in magnifico illo aedificio quotidie exercitae fuerint?

12. At INQUIES cum auctore supra memorati impii libri. Si hebraei tempore iudicum tantum unicum Deum, qui universum mundum condiderit, agnovere, qui potuit *Iephte* (Iud. 11, 24) per suos ad regem ammonitarum nuntios Deum *Chamos* cum Deo israelitarum comparare: Nonne ea, quae possidet *Chamos* Deus tuus, etc. ? ¶. ut haec quaestio apparenter difficilis solvatur, et penitus dilucidetur, meminisse oportet, qua occasione, et ad quos *Iephte* haec locutus sit. Rex ammonitarum ab israelitis certum terrae tractum, qui aliquando ad ammonitas pertinebat, sibi restitui poscebat. Quae libet autem vicinarum gentium peculiarem Deum suum colebat, cuius auxilio ac protectione ditionem suam

(1) Iud. c. 5, v. 9, c. 6, v. 7, et c. 10, ubi v. 10, 15 et 16, ita legimus: Et clamantes (israelitae) ad Dominum dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim. — Dixeruntque filii Israel ad Dominum:

se possidere existimabat. Porro israelitae ab ammonitis oppressi et afflicti clamabant ad Dominum poenitentes, et omnia idola de finibus suis proiecerunt (Iud. cap. 10), ac proin tunc longe aberant, ut *Chamos* crederent esse Deum; nihilominus *Iephte* israelitarum princeps et iudex, ut ammonitarum falsa praedicia in suum suorumque commodum verteret, ac argumento (ut scholae loquuntur) ad hominem ostenderet, quam iniquum sit illorum postulatum, ab israelitis terram, quam hi Deo israelitis dante occuparunt, reposcentium, ita contra regem ammonitarum a simili argumentatur: Tu occupas regiones illas, quas Deus tuus *Chamos* tibi dedit; ergo pari iure nos occupamus terram, quam pro nobis pugnans victor Deus noster nobis dedit. Antecedens non absolute asseritur aut conceditur, sed per quandam solummodo permissionem et ex ammonitarum tantummodo sententia loquitur, quasi diceret: Quae tibi tuus (quemadmodum tu quidem putas) dedit *Chamos*, ea iudicas, iuste te possidere; ergo de iis, quae a nostro nobis data sunt Deo, similiter a te iudicandum est. Ita *Cornelius a Lap.* cum aliis. Sed

13. INSTAT memoratus auctor, et ait: Iud. 1, v. 19, *Adonai* (i. e. Dominus) montana possedit; nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. Ergo, Deus Israelis tunc iuxta persuasionem iudaeorum tantum erat Deus praesidens montibus, non autem vallibus; sicut vicinarum gentium Dii (*Chamos, Moloch, Beelphegor,*

Peccavimus; redde tu nobis, quidquid tibi placet; tantum nunc libera nos. Quae dicentes, omnia de finibus suis aliorum deorum idola proiecerunt, et servierunt Domino Deo: qui doluit super miseris eorum.

Astaroth, etc.) tantum in territorium quisque suum extendere dominatum credebantur. R. Allatus textus manifeste corruptus est. Genuinus enim sic sonat: *Fuitque Dominus cum Iuda, et montana possedit; nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Ex quibus verbis patet, quod dictus auctor illud, quod s. Scriptura de Iuda dicit (videlicet, quod non potuerit delere habitatores vallis), impia sacri textus corruptione Deo Israël's attribuat, quasi huius dominium duntaxat ad loca montana, nequaquam autem ad valles sese extenderet.

Dixi: *impia sacri textus corruptione.* Manifestum enim est, quod is, qui non potuit delere habitatores vallis, ille ipse sit, qui montana possedit; sed hic fuit Iudas, iuvante Adonai, seu Domino Deo Israël's. Sensus enim genuinus sacri textus est: *Iudas i. e. (tribus Iuda) auxiliante Domino montana obtinuit; nec potuit delere habitatores vallis, etc.* Id patet ex toto contextu Iud. 1, v. 18 et 19, qui ita habet: *Cepitque Iudas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis. Fuitque Dominus cum Iuda, et montana possedit (nempe Iudas), nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Adhuc clarius id ostendit paraphrasis chaldaica (vide polyglotta biblia card. Ximenii) hunc locum Scripturae exprimens his verbis: *Et subegit Iehuda Chazam et terminum eius, et Askalon et terminum eius, et Ghegron et terminum eius. Et fuit verbum Domini in auxilium domus Iehuda, et extirparunt habitatores montis; post sic (quod peccarunt) non potuerunt ad extirpandum habitatores planitie, nam currus ferri illis.*

14. VERUM OPPONIT teste cl. *Bullet* alius incredulus, vel potius idem auctor paulo supra memoratus, sed alia larva tectus, ac ait: Valde mirabile est, quod Iudas auxilio Domini munitus non potuerit delere habitatores vallis. R. Volenti Domino et adiuvanti nullos utique currus, nullas aut falces, aut ferratas cuspides posse obsistere, ideoque *duplicem* hic *expositionem* esse, quarum quaelibet solvendae obiectae apparenti difficultati sufficit. UNA *Caietani*, qui ex non exterminatione habitatorum vallis colligit, iudaeis ad exterminandos hostes in valle habitantes auxilium divinum defuisse. *Divina*, inquit, *providentia fert opem secundum mensuram suae dispositionis, et propterea utrumque dicit Scriptura, et quod fuit Iehovah cum Iuda (ad montana obtinenda) et quod non fuit cum eo ad expellendos habitatores vallis. Non enim hebraice scribitur: ET NON POTUERUNT, sed: ET FUIT IEHOVAH CUM IUDA, ET HAEREDITAVIT MONTEM, QUOD NON AD EXPELLENDUM HABITATORES VALLIS, hoc est, fuit Iehovah cum Iuda ad hoc, ut possideret montem, ita quod non ad expellendum habitatores vallis.* ALTERA *expositio est s. Augustini*, fuisse Dominum cum Iuda tam ad expellendos montanos, quam ad non expellendos in valle habitantes chananaeos. Et hoc magis congruere videtur sacro textui, quamquam verbis potius, quam re expositiones hae duae discrepant. Cum enim nobis omnibus praesens adsit semper Deus, quando praecipue dicitur esse cum aliquo, ea eius praesentia intelligenda est *secundum effectum aliquem*. Effectus vero hic vel est opitulatio ad finem aliquem, verbi causa, victoriam, vel a finis eiusdem adeptione impeditio. Utrumque siquidem bonum; et licet saepe ignoremus hoc bonum,

novit tamen divina sapientia. Cum iudaeis igitur fuit Dominus ad montana obtinenda, et cum iisdem fuit ad impediendum, ne vallem hostium tum obtinerent. Impedit vero illos, vel sola sui auxilii privatione, ut *Caietanus* supra citatus censet, vel tam auxilii privatione, quam rei allicius effectione, si aut metum, terroremque iis iniecit Dominus, aut si eos considerare fecit ingens hostium robor, terribiles quadrigas, formidabilem belli totius apparatus: unde metum ipsi, ac pavorem conciperent, seque adversus illa nimium quam infirmos ac debiles putarent.

Sed *QUAERES* ulterius: *Cur Deus iudaeos ad obtinendam hostium vallem non adiuvit, eosque sivit perterriti, aut terrorem iisdem iniecit?* R. Chaldaeus paraphrastes, cuius verba supra ad finem num. 13 recitavimus, id *generatim* propter peccata, quae in iudaeis tunc erant, factum tradit, dicens: *quod peccarunt.* Et *speciatim* hoc peccatorum genus putat *Arius Montanus* fuisse diffidentiam in Deum et ignaviam. Sed d. *Augustinus* quaest. 5 in librum Iudicum existimat, id factum propter futura potius avertenda iudaeorum peccata, bonumque horum aliquod efficiendum, ut modestiae nimirum quaedam occasio iudaeis ipsis relinqueretur; et ut in tot tantisque rebus secundis aliquid, quod utiliter pertimescerent, superesset. *Quis*, ait, *non intelligat, etiam hoc ipsum ad id pertinuisse, quod erat Dominus cum Iuda, ne totum repente obtinendo extolleretur?* Et postea: *Cur autem timuerit, cum quo Dominus erat, si quaeritur, hoc est, quod prudenter intelligendum est, restringere Deum propitium etiam in cordibus suorum nimiae prosperitatis excessus, ut in usum eorum converlat inimicos, non*

solum quando vincuntur inimici, sed etiam quando metuuntur. Illud ad commendandam largitatem suam; illud (istud) ad eorum reprimendam elationem.

TERTIA *expositio* (quam cl. *Bullet* amplectitur) negat suppositum, quod in obiecto textu Iud. 1, v. 19, haec verba: *Nec potuit delere habitatores vallis*, impotentiam significant, prout obiecto supponit; sed verba illa, inquit *Bulletus*, intelligi possunt, perinde ac si legeretur: *Iudas (i. e. iudaei) noluit delere habitatores vallis.* Nam *non posse* saepe idem significare, ac *nolle*, constat non solum ex idiotismis variarum linguarum, sed etiam ex non uno s. Scripturae loco, e. g. Gen. 32, v. 25; Gen. 37, v. 4; Marci 6, v. 5. Nihilominus nos relicta hac tertia expositione, inhaeremus primae et secundae expositioni, tanquam magis conformibus menti s. Scripturae.

15. Denique *INSTAT* incredulus auctor, de quo ad initium num. 13, mentionem fecimus, ac ironice ait, « se nolle inquirere, an habitatores montosae illius regionis, falcatos currus habere potuerint, cum non alia iumenta, quam asinos habuerint. » R. Prorsus ineptum est hoc hominis increduli argumentum, quasi vero in montanis regionibus chananaeorum non etiam hinc inde datae fuerint sat magnae planities, et praeter asinos equi, qui falcatos currus trahere potuerint. Numquid in Helvetia, Tyroli, aliisque montanis regionibus praeter asinos et mulos etiam equi, et praeter montes hinc inde spatiosae planities non dantur? Numquid de Palaestina quantumvis montosa idipsum dici nequit? Numquid Deut. cap. 11, cum dux Iosue regem Iabin cum aliis plurimis regibus vicisset, iussu Dei equos eorum subnervavit, cur-

rusque combussit igni? Numquid idem Iosue cepit omnem terram montanam, et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, etc.? Iosue 11, v. 16. Numquid III. Reg. 4, v. 26, habebat Salomon quadraginta millia praeseptia equorum currilium, et duodecim millia equestrium? Ad quid tot equi et currus, si in montuosa regione Palaestinae nullus eorum et curruum usus fuit?

16. QUÆRES III. Quo sensu (Iud. 1, v. 8) Ierusalem dicatur ab israelitis capta et tota exusta; cum tamen diu postea (II. Reg. c. 5) David eam, pulsus iebusaeis, primum expugnari? R. Ierusalem quidem iam diu erat capta et exusta; prout in lib. Iudicum, loc. cit. narratur his verbis: *Oppugnantes ergo filii Iuda Ierusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem.* Sed hoc intelligendum est solum de inferiore parte civitatis Ierosolymae. Nam superiorem partem, quae erat arx Sion munitissima, israelitae nunquam (1) iebusaeis extorquere poterant; donec David tandem eam expugnavit; qua occasione Iobab insigne specimen fortitudinis (2) edidit. Porro pars haec superior civitatis ad tribum Iuda, pars vero inferior ad tribum Benjamin pertinebat.

At INQUIES: Iuxta modo dicta pars inferior civitatis a filiis Iuda, seu a tribu Iuda expugnata est; ergo videtur pertinuisse ad tribum Iuda, et non ad tribum Benjamin. R. Conc. ant. neg. cons. Quamvis

(1) Vide Iud. c. 1, v. 21. Item Iosue, c. 15, v. 65.

(2) I. Paral. c. 11, v. 6.

(3) Commentar. in I. Iud. c. 1, v. 8.

(4) Vide Iudic. c. 1, v. 54.

(5) Vide Calmet. aliosve interpretes comment. in Iud. c. 18, v. 1.

(6) Réponses critiques, tom. 2, n. 50, Barac.

enim pars inferior Ierosolymae ad tribum Benjamin pertinuerit, tamen a filiis Iuda expugnata est; quia beniamitae viribus suis diffidentes, eam expugnandam tradiderunt iudaeis. Vide hac de re Cornelium a Lap. (3).

17. QUÆRES IV. Cur tribus Dan (Iud. 18, v. 1) quaesierit possessionem sibi, ut habitaret in ea; etsi iam antea (Iosue 19, v. 40) una cum aliis tribubus partem suam acceperit? R. Licet danitae iam prius ad instar aliarum tribuum suam in Palaestina sortem acceperint; magnam tamen illius sortis partem amorrhaei adhuc occupabant (4); postea vero danitae sortem quaerebant ampliolem, et tantae suae multitudinis sat capacem (5).

18. QUÆRES V. An verisimilia sint, quae de praelio, quod BARAC, comitante DEBORA, inivit cum SISARA, belliduce IABIN regis Chanaan, in libro Iudicum, c. 4, narrantur? Huic quaestioni ansam praebet encyclopaedia, cuius falsitates titulo Barac propositas refutare, religionem christianam defendere est. Itaque auctor Encyclopaediae loc. cit., prout cl. Bullet (6) testatur, ita disserit: « Nolumus inquirere, inquit, qua die ad montem Thabor in Galilaea Debora (seu Barac iussu Deborae) praelium inierit cum Sisara, qui trecenta millia peditum, decem millia equitum, et tria millia falcatorum curruum, si Iosepho (7) credimus, in aciem eduxit. »

R. Nos hac in re Iosephum non defendimus, utpote qui apparatus

(7) L. 5 antiq. iudaic. c. 6, ubi ita scribit: « Israelitae vero... imperio Iabini chanaanorum regis subiugati sunt. Is... peditum alebat millia trecenta, equitum decem, praeterea currus bellicos habebat ter mille. His copiis praefectus Sysares, etc. »

bellicum Iabin regis chanaanorum, cit. loc. ultra modum exaggerat; prout Calmet (1), aliique observant. Scriptura enim duntaxat 900 falcatos currus (2) regi Iabin attribuit; numerum autem ipsius militum ne quidem designat. E contrario Iosephus ait, regem Iabin habuisse 3000 currus falcatos, 300,000 pedites, et 10,000 equites. Sed auctor Encyclopaediae

19. INSTAT I, et ait: « Ad radicem montis Thabor prope torrentem Cison hoc praelium fuit commissum... At inter hunc montem et vicinas rupes exigua planities silicibus obsita invenitur, quae hac ipsa de causa bellicis exercitationibus, equitum praecipue, impedimento erat. Extenditur autem haec planities solum ad quadringentos, aut quingentos passus. Profecto haud verisimile est, Sisaram in loco tam angusto sua trecenta millia virorum in aciem disposuisse. Adde etiam, quod sua tria millia curruum falcatorum ibi difficulter circumagi potuissent. »

R. Et dico: Adversarius anans verbis locum praelio destinatum talem delineat, qualem instituto suo perficiendo aptissimum credit, ut nimirum s. Scripturam apertae falsitatis convincat; utpote quae ingens praelium commissum fuisse narret in loco, ubi vix duae legiones consistere potuissent. Verum quam apte illa loci descriptio qua-

(1) Comment. in Iud. c. 4, v. 15.

(2) Iud. c. 4, v. 5 et 15.

(3) Voyage de Jérusalem, pag. 209.

(4) Voyage d'Alep, pag. 190, 191.

(5) Voyage de la Terre sainte, p. 620.

(6) Comment. in Osee c. 5.

(7) Campestria vocantur magnae planities. Ubi notandum est, quod duplex sit magnus campus, quo nomine ab historicis et geographicis duae Palaestinae vales satis amplae appellantur. Harum altera a Tiberiade ad Segor 1200 stadio-

drat ad impium dicti auctoris propositum, tam procul a vero abest. Audiamus hac de re oculos testes. Mons Thabor, inquit Morison (3), a Deo in celebri illa planitie Galilaeae positus est, quam Scriptura magnum campum Esdreton aut Maggedo appellat. Similiter Maundrell (4) ait: *Thabor est mons sublimis, rotundus, et amoenus, qui solus in aspectabili planitie Galilaeae positus est... Ex vertice huius montis pulcherrimus prospectus patet, qui difficultatem, quae in ascensione huius montis superanda est, abunde compensat... Circum circa conspiciuntur amplae et amoenae planities magni campi Esdreton et Galilaeae, quae ob oculos ponunt varia loca, ubi Filius Dei miracula patravit.* Eodem modo loquitur p. Naud (5): *Campus Esdreton, inquit, est una pulcherrimarum, maxime fertilium, et amplissimarum planitiarum, quas unquam vidi.* Haud dissimile testimonium de monte Thabor iam olim perhibuit s. Hieronymus, qui magnam vitae suae partem in Palaestina consumpsit. Eius verba (6) sunt: *Est autem Thabor mons in Galilaea, situs in campestribus (7), rotundus atque sublimis, et ex omni parte finitus aequaliter.* Tot testibus adiungimus duos alios non quidem oculos testes, attamen ob vastam suam in rebus s. Scripturae historicis et geographicis eruditionem celeberrimorum spatio in longitudine, ac 120 in latitudine protenditur. Altera vero ab oriente in occidentem a Scythopoli ad Legionem usque longitudine fere 75 miliarium producit. Atque haec vallis (de qua etiam in praesenti quaestione de praelio Barachi cum Sisara commissio sermo est) ab iis urbibus, quas ambitu suo continet, Campus Esdreton, Legionis, vel Iezraël subinde appellatur. Vide Calmeti dictionarium biblicum verbo: Campus.

mos, ideoque fide omnino dignos. Primus est *Adrichomius* qui in *theatro terrae sanctae* (1) campum magnum *Esdreton*, in cuius medio mons *Thabor*, teste *Calmeto* (2) situs est, his verbis describit: *Campus magnus, qui et campus Maggedo, et campus Esdreton et planities Galilaeae* (est)... adeo rebus omnibus affluit, ut qui suis oculis aliquando conspexerunt, affirmant sese nihil unquam perfectius, et in quod natura aequae omnia sua contulisset, aspexisse. In hoc campo *Iosias rex Iuda, a sagittariis Nechao regis Aegypti vulneratus, interiit; et in his Sisara, et omnis exercitus eius, Barac vincente, prostratus est.* Alter est eruditiss. *Calmet*, qui in dictionario suo biblico (3) de monte *Thabor*, et magno campo *Esdreton* eadem testatur.

Ceterum idem celeberrimus interpretis s. Scripturae distincte explicat (4) modum, quo *Barac Sisaram* vicerit. Descendit nimirum *Barac* cum suis decem millibus pugnatorum de monte *Thabor*, quem prius occupaverat, et repentinum impetum in *Sisaram* fecit, qui ad torrentem *Cison* (5) in vasta planitie copias suas in aciem explicuit, cum curribus suis; cumque simul Dominus *Sisaram*, omnemque huius multitudinem ad conspectum *Barac* perterruisset, ille cum omni suo exercitu in fugam effusus est. Tota haec narratio desumpta est ex Iud.

(1) De tribu *Issachar* num. 18, *campus magnus*, etc.

(2) In Diction. suo biblico, verbo: *Thabor*.

(3) Ibidem. Item verbo: *Barac, Sisara, Campus*.

(4) Comment. in Iud. c. 4, v. 7, 9, 13.

(5) *Torrens Cison*, qui alias *Cyson, Cisson*, hebraice autem *Chison* dicitur, ex pede montis *Thabor* scaturit, et mediam planitiem campi latissimi intersecat ad montis eiusdem meridiem; hic *Sisara* copias suas in aciem explicuit, cum cur-

c. 4, v. 6, 7, 12, 13, 14, 15 et 16. Item c. 5, v. 15, 20, 21 et 22. Sed redeamus ad scriptorem *Encyclopaediae*. Is

20. INSTAT II. Et ironice ita pergit: « *Iabin*, qui erat REX ALICUIUS VICI nomine *Azor*, plures habebat milites, quam turcarum sultanus. Miseret nos ipsius summi ducis *Sisarae*, qui praelio victus - quadriugo curru desiliens, PEDIBUS FUGIT, ut scilicet CELERIUS AUFUGERE POSSET. A SANCTA quadam muliere iudaea hospitio recipi flagitavit, quae ei lac potandum praebuit, et eundem dormientem clavo per tempora adacto interfecit. »

¶. Et quaero ex *encyclopaedista*, ubinam s. Scriptura dicat, *Iabinum* regem plures habuisse milites, quam turcarum sultanus? Nam assertum *Iosephi iud.* hac in re non defendimus, ut iam supra num. 18, a nobis observatum est. Ceterum *Iabinum* regem ingentem habuisse exercitum, extra dubium est: quamvis s. Scriptura numerum militum eius explicite non exprimat, sed tantum dicat, ipsum habuisse *non-gentos currus falcatos, et multitudinem exercitus* (6). Prorsus autem impudenter, et sine omni solido fundamento *Azor* (alio nomine *Asor, Hasor, Asorum, Hesar*, etc.) ab *encyclopaedista* vocatur *vicus*; cum tamen antiquissimus scriptor libri *Iosue* eam appellet *urbem munitissimam* (7), eaque antiquitus totius

ribus suis; *Barac* vero e montis vertice per praecipites anfractus et rupes cum decem bellatorum millibus descendens in ipsum impetum fecit, sicque dans se suosque praelii periculo, se cum suis videbatur praecipitare in vallem, et profundam exitii sepulchrique fossam; quemadmodum Iud. c. 5, v. 13, narratur: *Qui quasi in praecipites, ac barathrum se discrimini dedit.*

(6) Iud. c. 4, v. 3, 13, 15 et 16.

(7) Iosue c. 11, v. 13.

regionis Chanaan metropolis et caput fuerit (1), atque inter omnia chanaanaeorum regna tenuerit principatum. In qua habitavit potens ille rex *Iabin* (alius a *Iabino* rege, de quo in praesente quaestione loquimur), qui cum pluribus aliis regibus innumerabilem hominum multitudinem, quae arenam maris aequare videbatur, (2) contra *Iosue* eduxit, ac cum eo ad aquas *Meron*, pugnavit. Quibus devictis *Iosue* primariam illam ac munitissimam civitatem *Asor* mox cepit, eamque rege et incolis illius trucidatis, flamma consumpsit (3). Quam cum postea chanaanai restaurassent, alius chanaanaeorum rex et ipse *Iabin* dictus (de quo in praesenti quaestione sermo est) in ea regnavit (4). Hic israelitas ob idololatriam, iusto Dei iudicio, suo subiugavit imperio, et subiugatos viginti annis vehementer oppressit. Quibus evolutis Deus Opt. Max., ut resipiscentes israelitas a tam gravi iugo chanaanai regis liberaret, eius militiae ducem *Sisaram* ad montem *Thabor* a *Debora* prophetissa et *Barac* vincti et fugari curavit. Porro commemorat Scriptura (5), civitatem illam *Asor*, etiam a *Teglathphalasar* assyriorum rege captam esse. Iam vero cum scriptores antiquissimi (nimirum *Iosue*, vel quicumque est auctor libri *Iosue*; item scriptores libri Iudicum, et libri quarti Regum), quorum aetate vetus illa et celebris in Galilaea urbs *Asor* (6) existebat,

(1) Ibid. v. 10, ubi expresse dicitur: *Asor enim antiquitus inter omnia regna haec principatum tenebat.*

(2) Ibid. v. 4.

(3) Ibid. v. 10 et 11.

(4) Iud. c. 4, v. 2 et seq.

(5) IV. Reg. c. 15, v. 29, in quem locum *Calmet* ita commentatur: *Asor vetus civitas, ac celebris, quae ante Iosue primum sibi vindicabat locum inter urbes Galilaeae.*

talia de hac urbe scripserint, quis satis miretur proterviam et impietatem supra memorati *encyclopaedistae*, qui ter mille annis post laudatos illos vetustissimos scriptores sacros negare audet, *Asorum* fuisse urbem et id solummodo *vicum* (ein Dorf) appellat: hocque facit sine probatione, sine documento, sine ulla alia ratione, nisi ut s. Scripturae contradicat. Daturne in republica doctorum simile exemplum?

21. Dum autem idem adversarius Scripturam irridet, quod *Sisaram* narret curru desilisse, ac pedibus fugisse, quasi vero quis pedibus celerius, quam curru et equis sese in fugam dare posset, ¶. et dico, ex triplici causa hanc Scripturae narrationem etiam infidelibus omnino verisimilem reddi posse. Nam 1. bene observat *Arias Montanus* (7): *Sisara fugam quaerebat, idque pedes, quo facilius et sese expedire, et si evadendi opportunitatem nancisceretur, latitare posset; ratus hoc pacto hostem fallendum, curru nimirum, qui certis insignibus notabilis esset, in aliam, se vero in aliam usque partem fugiente, atque insequentis currum hostis impetum declinante, ita ut qui currum fugientem viderent, ducem in curru quoque esse existimarent, atque ita quidem ille Baracum effugeret.* 2. Fors equi currus, quo *Sisara* vehebatur, in tanta perturbatione et effusa totius exercitus fuga fuere consternati, et eversio-

(6) Hic notandum, quod teste *Calmeto* non una fuerit huius nominis *Asor* civitas; prout idem interpret comment. in Iosue c. 15, v. 25 observat. Sic etiam erat *Asor nova* Iosue c. 15, v. 25, ita dicta, ut a veteri *Asor* urbe, olim *Iabin* rex Chanaan imperitabat, distinguatur. Erat autem *Asor nova* ad Ascalonis orientem posita, ad eamque spectabat. Vide *Calmetum* loc. cit.

(7) Comment. in Iud. c. 4, v. 13.